



1. Boffeck / Joh. Gottl. / diff. De cultu flumi-  
nam. Lipsiæ 1740.
2. Breithaupt / Joh. Gust. / Dissertatio de  
incrementis in Cenoctia malo, Halle  
1710.
3. \_\_\_\_\_ pentas III de hæræsi, Halle 1697
4. Buddei / Joh. Franc. / diff. de fragrantia  
Christi jens 1712.
5. \_\_\_\_\_ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΚΡΙΒΕΙΑΣ in  
vita christiana, jens 1707.
6. \_\_\_\_\_ de libertate cogitandi, jens 1715
7. Burmanni / Joh. Eberh. / diff. de fide  
salvifica, Helmst. 1682
8. Carpzov / Joh. Bened. / diff. de Chuppa  
Hebræorum, 1710.
9. \_\_\_\_\_ diff. de religione quietista.  
Lipsiæ 1687.
10. Carpzov / Joh. Gottl. / diff. de anno Jobe,  
lib. secundum disciplinam Hebræo.  
jens Lipsiæ 1730.

C. 29.

28

DE

# ECCLESIA

SVB

## EPISCOPO VIDVO NON VIDVA

AD

DOMINVM

L. THEODORVM DASSOVIVM

Ecclesiarum in Holfatia Superintendentem Generalem

*VIDVVM MOESTISSIMVM*

EPISTOLA ΠΑΡΑΜΥΘΙΚΗ

D. MARTINI CHLADENII

P. P. Praepositi & Consistorialis.



WITTENBERGAE

PROSTAT IN OFFICINA GERDESIANA.  
M DCC XX.





VIR MAGNIFICE,  
AFFINIS VENERANDE,



uo exquisitius illud habetur le-  
vamentum, quod ex dulci &  
exoptato conjugio percipi &  
comparari solet, eo capio fa-  
cilis, quam acerbus ille sit  
luctus, qui ex obitu svavissi-  
mae Tuae THEODORAE, & animo & nomine  
conjunctissimae conjugis, animum Tuum occu-  
pavit. Etsi enim jacturae Tuae magnitudinem  
praeter TE ipsum, accurato quodam picturae  
genere, nemo describere facilius ac melius pos-  
sit, illud tamen exploratum nobis est, quotquot  
TE & divam novimus, Eam Tibi sua praesentia  
voluptatem innocentissimam, morte vero tri-  
stissimum Sui desiderium non uno ex capite re-  
liquisse.

A 2

Non

Non equidem digrediar operose in *Beatae* Tuae laudes, cum & negotium istud viribus meis superius sit, & vulnus Tuum eo vehementius exasperatum iri metuam, quo plura de illis bonis, quorum amissionem subiisti, proferantur: Feres vero nihilominus aequius, ut, quod veritas ipsa dicitur, primis velut saltem vestigiis designem, & eo felicius solatii, quod applicaturus sum, medelam, pro mea in TE pietate debitoque officio, porrigam.

Matrimonium Vestrum, quod ad septem lustra duravit, complexus fuit variae benedictionis ac benignitatis divinae. Diceres recte corollam ex omni fortunarum & felicitatis genere, quod DEVS in suos interdum defluere jubet, contextam. *Atavia* Vestra post orbitatem filii unici expectationis maximae, & indolis praeclarissimae, parentum suorum ocelli, quo nihil vobis svavius extitit, gravis alioqui, & dolore quodam plena, multa & insigni quidem, ex confortio vestro redundante, jucunditate compensata est divinitus. Conjugis lectissimae pudicitia, svavitas sermonis, modestia vultus, amabilitas morum, pietatis candor, animi sinceritas, patientia in adversis, constantia & fides in verbis,

bis, erant dotes, quibus, uti quondam **STOLBERGIVM** nostrum ad ineundum connubiale foedus non tam invitabat, quam volentem trahebat, Virum in Graecarum literarum decus natum, & longiore vita dignissimum, ita post ejus obitum **TE**, Iridem antiquitatis, quam **Oriens** totus continet, florentissimum velut **Pro-mum** condum, adeo sibi potuit devincire, ut sicut utrosque **Vos**, meritis in **Sacras** profanasque literas inclytos, **Leucoris** nostra etiamnum celebrat, & imposterum ad **feros** usque nepotes celebratura est, ita ob **felix** & **auspicatum** matrimonium, quod non omnibus perinde eruditis contingit secundum & optatum, tunc **Vobis**, unanimi quodam consensu applaudere non dubitarit.

Equidem in isto virtutum cumulo, quarum omnium **Tu** spectator optimus, & idoneus maxime testis extitisti, videor mihi videre repraesentatam **PAVLAM** aliquam, adeo ab **HIERONYMO** celebratam, vel melius ut eloquar mentem, reliquas quoque foeminas sanctas, quarum ille laudes adeo decantat, elogiaque tanta concinnat, in una velut hac foemina ad vivum, quod ajimus, expressas fuisse, nec idcirco vani-

tatis alicujus, a qua soleo semper esse quam alienissimus, me jure compellari posse, non uno quidem ex capite mihi persvadeo.

Talem genuerat & efformaverat cum aliis filiabus, quarum una ex JUSTI SIBERI (cujus vel solum nomen appellare, laudare est,) matrimonio, mihi CHARITATEM peperit conjugem, PAVLVS ZINKIVS, Consul ille Dresdensis, Electoribus quondam Gloriosissimae memoriae Primo & Secundo JOHANNI GEORGIO carus, & multis gratiae documentis honestatus, Vir integer, & verum antiquae ac Germanae pietatis & sinceritatis exemplar, cujus prosapia in tot ramos, flores & surculos excrevit, ut vel hinc cumulatissimae benedictionis indicium formari possit. Hujus felicissimae educationi, morum quoque Tuorum Sancto Ipse exemplo accessisti, Tuaque conversatione quotidiana intemerata Eam velut provocavisti, ut Ejus vicissim sanctimonia, precibus, sollicitudine, cura & vigilantia domestica, prudentia rerum agendarum, frugalitate vitae, & mira ubique circumspeditione delectari & frui per tantum temporis spatium Tibi a Deo immortalis fuerit concessum.

Nunc



Nunc vero, ubi hoc Tuum Tibi delictum ereptum quereris, aequior quisquis est, ut luctui Tuo indulgeas, nullam equidem ponet remoram. Tantarum enim virtutum, quae in laudata conjugē spectantur, urna unica quod in morte capax esset, vix sine lacrymis intueatur vel alienior, nisi meminerit, simul virtutes cum corpore non sepeliri vel tumulo recondi, sed fructum & praemium earum petere coelos, laudem vero & memoriam superesse in multorum animis, ipsaque posteritate, in qua si quis vivere post mortem contendat, per bene facta aditum & viam sibi nullo negotio comparabit. Mihi autem hoc tantisper dabis, ut vel uno saltem diverticulo animum tuum, extra se velut positum, quodammodo deliniam, & tantillum luctui Tuo, alias justissimo, detraham ac subducam.

Meministi, *Affinis Venerande*, pro Tuo in ritibus sacris eruendis exasiciatissimo iudicio, & quodam velut in his literis principatu, Sacerdoti quondam inter Judaeos summo, uti materia lugendi non defuerit, ita nihilominus omnem interdictum fuisse publicum & legitimum luctum, ita ut ne ullam ejus significationem etiam  
in

in ipsa morte conjugis edere integrum esset  
 Levit. XX, 10. 11. quod tamen aliis Sacerdotibus  
 nequitiam prohiberetur. Hoc uti interdum  
 extra ordinem, meo equidem iudicio, ecclesiae  
 miserum statum repraesentare debebat, qui omni  
 dolore & luctu esset superior: ut exemplo  
 Prophetae patet Ezech. XXIV, 16. Ita ordi-  
 narie illud ea propter fieri non debuisse credo,  
 quoniam amissis propinquis, ipsaque con-  
 iuge, Sacerdoti summo constaret adhuc despon-  
 sata ecclesia, ut, tametsi viduam haberet do-  
 mum, non tamen haberet viduam Synagogam,  
 cuius ipsi cura potior omnibus reliquis esse de-  
 bebat, de quo curiosa quaedam commentatur  
 HIERONYMVS ad alium locum ejusdem Vatis  
 memorabilem, C. XLIV. T. V. p. 548. Causae  
 enim, quas praeter alios adferunt DIDACVS DEL  
 CASTILLO *de Vestitu Aaronis Illat.* 231. p. 383. &  
 HIERONYMVS SOPRANES *digressionem ad Da-  
 videm de luctu Hebraeorum* p. 532. de venera-  
 tione majori concilianda, affectibus temperan-  
 dis, animo a coelestibus non abstrahendo, ex-  
 emplo morum aliis praebendo, nervum hujus in-  
 stituti vix aequare vel attingere videntur.

Vix

Vix itaque fortiori, magisque valituro solatio Te excipere possum, quam si praeter illius paternae benignitatis fiduciam, quam Te in Arbitrum summum vitae nostrae ac mortis collocare certissimus sum Tibi hoc ad animum revocem, equidem Te esse, jubente Numine, nunc viduum, non tamen viduam ecclesiam Tuam habere. Habet enim illa & colit Te Praefulem superstitem, de ipsius emolumentis sollicitum, & qui Vnctorum suorum corda regit, hoc quoque felicitatis concedit, ut veritas ubique perduret immota. Habet, quae Numinis est gratia, Dania & Holsatia vestra Tecum Viros sincera doctrina innutritos, eamque ad posteritatem feram, annuente DEO, propagaturos, nostros quoque, & doctrinae, quae apud nos viguit vigetque, aut alumnos, aut amicos sinceros, constantesque defensores, novitati quacunque sub specie irrepentis, circa doctrinam piosque ritus, infensos & adversos. Accepit ipsa JVTIA vobis vicina novissime Praefulem atque Episcopum Venerabilem, LINTRPIVM SEVERINVM, Virum, ad tuendam veritatem maxime idoneum, cui, ob amorem erga me, tot literarum documentis

B

tis

tis comprobatum, & merita in bonas literas ac doctrinam puriorem hic publice bene precor, & multa in Ecclesiam emolumenta ab Eo redundatura non tam spero, quam firmiter credo, & ex Numinis benignissima manu expecto. Enimvero quis dubitet adesse causas, cur credamus, fieri posse ecclesiam viduam, si manus in sinum reponant Episcopi, Doctores & Ministri, neque resistent mature, sicubi falsae opiniones spargantur, sed inveniantur, qui has excusent, pallient, defendant, quae contra Novatores scribuntur, suggillent ac perstringant, antiquum beneque receptum studii sanctissimi modum ac methodum immutent, Scripturae interpretationes a nostratibus factas supercilio alto despiciant, mystica, mystica crepent, ecclesiae corruptionem in rebus plane non corruptis quaerant, & revera corrupta pro non corruptis declarent, Polemicum studium removeant, aliaque, sub specie majoris utilitatis, substituunt, male illos ferant, qui de damnis Josephi conqueruntur, & tandem prodant apertis fatis indicis, se erga ecclesiam puriorem integro animo non esse, sed aliis quoque religionibus favere, aut saltem non male cupere.

pere. Ferreum esse oportet, qui sine animi indignatione volvat scripta adversus eos edita, quibus adhuc integrum cor salit in pectore, non sale foecundo conspersa, sed rodente, aculeato & pungente, non ~~auramento~~ sed felle amarissimo scripta, non ex scripturae limpidis-  
simis oraculis, sed Satyricorum flosculis contexta, quibus hinc inde Virorum honestissimorum nomina, honos, vita ac mores male fatis & indigne excipiuntur. Aliter omnino debebat in coetu DEI geri negotium, & de rebus tantis, quales sunt controversiae sacrae, graviter sententiae conferri, seposito illo scribendi genere, quo olim inter ethnicos ipsos non nisi Comici & mimi, facetissimum genus hominum, usi fuerunt, ut alios insectando, alios delectarent, vili fatis & incondito delectamento.

Quod Te attinet, *Vir Venerande*, ecclesias Tuae fidei commissas viduas non reliquisti. Pro fide Tua erga DEVM non destitisti a tot retro annis, ut veram & infucatam pietatem commendares, novaturiendi studium sub specioso tegmine obumbratum in apricum subinde produceres, & quam indignum sit terris

Evangelicis, quas tanta veritatis lux circumfulsit & illustravit, non uno scripto demonstrares. Non veritus es opprobria, diras & tela aculeata, quae potuerunt in innocentem vibrari, frangere non potuerunt. Haec enim est praesentis divini ratio, ut gloriam Numinis tuentes invadi & premi sinat, supplantari & supprimi non sinat. Videant, quid agant, qui in praesentis ecclesiae statu hinc inde si non frigidi, tepidi saltem sunt, siccisque oculis grassantem in coetum DEI perniciem intueri possunt, nisi forsan ipsi quoque veritati litem moveant. Anima doctoris genuini Zelo ardet, non praepostero ex affectu, sed vero & infucato erga DEVM, & studio vindicandi a corruptelis doctrinas etiam secundi generis atque ordinis, quae si non ingrediuntur, afficiunt tamen & alterant fidei fundamentum. Qui in doctrina veritatis coelestis tuenda plane ἀπαθής est, vereor ut causam Numinis recte agat. Monstruosum est in suamet causa agenda indulgere affectibus, in DEI causa urgenda omnem amoliri velle fervorem, quasi non potius in nostris ipsorum bonis defendendis liceat esse laxiorem & indulgentiorem, quam in alienis & fidei nostrae commissis : De illis  
quan-

quantum libet, forsan licet cedere in vafori, de veritatis deposito vel tantillum remittere non licet, nisi transfugam agere quis velit.

Ego quidem ita sentio, si multi tantum studii oleique consumerent in adstruendis veris atque in scriptura fundatis sententiis ac depellenda novitate, pro sua in bonis literis, omnique doctrinae cultioris genere comparata eruditione, ingeniique felicitate ac promptitudine a DEO concessa, quantum industriae collocaverunt in incrustandis, aut saltem excusandis, novis opinionibus a doctrina ecclesiae nostrae alienis, longe melius stare posse rem sacram: Multis sane turbis superfedere potuisset & nostra & majorum nostrorum aetas, ipsaque posteritas haberet, de quo gauderet; ubi vicissim nonnisi dolenda fatis multa extant vestigia & specimina ingeniorum multo alias felicissimorum, nisi cupiditate emergendi ad novitatem declinavissent, contempsissent nostra, laudavissent & probavissent nihil, nisi quod non esset domesticum, sed longius potius petitum, novum & inauditum, deturbatis terminis loquendi, & doctrinis receptis, & introductis talibus, quae ecclesia nostra jamdudum in aliis quondam eliminavit.

Vbi de Tuo in gloriam DEI fervore loquor, ut diffimulem, impetrare a me non possum, me non parvo sanctoque gaudii sensu fuisse perfusum, quando vidi TE Ecclesias tuas ab usu hymnorum non modo suspectorum, verum etiam, quod a nobis alibi monitum est ex instituto, plane falsam doctrinam disseminantium, gravi ac paterno consilio publice dehortatum esse. Erat sane cura, si ulla in re, hoc profecto in negotio ab omnibus vigilibus Episcopis adhibenda. Sunt, de quo nemo dubitet, cantica in ecclesia DEI adhibenda professiones fidei publicae, in quibus canendis universus populus ac coetus congregatus non voces saltem publice unit, verum etiam, nisi sit sine mente sonus, animos quoque conjungit. Si igitur talia infinentur canenda, quae veritatem coelestem violant, aut quae infelici Poetastro ex vena vel avena sterili profluxerant, subreptitium illud genus decipiendi & offendendi animas incautas, quis non bonae mentis homo serio detestetur? Miseros omnino prae reliquis mortalibus ego appellem, qui talibus cantilenis impuris turbant ecclesias, & imperitis rei que non gnaris virus suum in mentes & ora illinunt ac ingerunt, magno & incredibili



dibili cum posteritatis damno, quae, quid gestum sit nostra memoria, mirabitur & sero fati dolebit ac deplorabit. Longe cautior primaeva ecclesia fuit, quae hymnis, nonnisi probatissimis, & fidem concordem testantibus, usa, & supposititios detestata est, publicumque usum hymnorum a privato sollicitè admodum distinxit.

De his vero argumentis, ubi DEO visum fuerit, luculentius alia ad TE occasione pluribus agam. Memini enim, nunc mihi solatia scribenda, non querelas esse fundendas, quamvis etiam me hoc non fugiat, querelas interdum publicas privatas istas velut absorbere & extinguere solere, cum mala, quae illas concitant, longe sint majora, omnemque dolorem alium supergrediantur. Quoties autem cogito animi Tui magnitudinem, *Vir Venerande*, & erectam ejus indolem, toties Te in hoc quoque utroque momento sola divini praesidii memoria mire corroborari ac sustentari firmiter credo. Sicut enim in iis, quae in ecclesia, conservandae & custodiendae purioris fidei causa, suscipis, scribis & conaris, benignissimum habes

in

in DEO tuo auspiciem, certaminis, si opus, di-  
 ribitorem, & certissimum brabeutam; Ita in  
 domestico hoc Tuo gravissimoque luctu grati-  
 am Spiritus S. consolatricem habes largissimam,  
 & reficiunt Te, praeter multa, ad tranquillita-  
 tem animae conciliandam, argumenta, ipsa fan-  
 cta & exoptatissima mors THEODORAE Tuae  
 dulcissimae & transitus in meliorem viam pro-  
 spere peractus; in beatissimum electorum  
 confortium facta receptio, dulcisque ac jucunda  
 Ejus recordatio, quae animum Tuum non  
 deseret, donec id, quod, ut sero demum fiat, a  
 Numine immortalis exopto, per felicissimam  
 evectionem, ad aeternum commercium illi  
 una cum aliis coelitibus jungaris. Me in-  
 terea, dum spiro, habebis constantem in pre-  
 cibus, amore, & fidei vitaeque hujus lucta so-  
 cium, &, quod fiat, aeterni aliquando comi-  
 tem triumphi! Vale, *Vir Venerande*, &  
 nos ama constanter! Wittebergae die

XXVI. Junii Anno  
 M DCC XX.



ed 20



ad 30.

94 A 7347(1)


ULB Halle 3  
000 523 054



Sb.

WMA







C. 29. 28

DE

# ECCLESIA

SVB

## EPISCOPO VIDVO NON VIDVA

<sup>AD</sup>  
DOMINVM  
L. THEODORVM DASSOVIVM  
Ecclesiarum in Holfatia Superintendentem Generalem  
*VIDVVM MOESTISSIVM*  
EPISTOLA ΠΑΡΑΜΥΘΙΚΗ  
D. MARTINI CHLADENII  
P. P. Praepositi & Consistorialis.



---

WITTENBERGAE  
PROSTAT IN OFFICINA GERDESIANA.  
M DCC XX.